e-codices

... celestis ordinis secundum M. Tullium.

Proslambanomenos.	Luna.
Hypate hypaton.	Mercurius.
Parhypate hypaton.	Venus.
Lichanos hypaton	Sol.
Hypate meson.	Mars.
Parhypate meson.	Iuppiter.
Lichanos meson.	Saturnus.
Mese.	Celum.

Secundum Boetium.

Hypate meson.	Saturnus.
Parhypate meson.	Iovis.
Lychanos meson.	Mars
Mese.	Sol.
Trite synemmenon.	Venus.
Paranete synemmenon.	Mercurius.
Nete synemmenon.	Luna.

QUI NERVI QUIBUS SIDERIBUS COMPARENTUR

Illud tantum interim de superioribus tethracordis addendum videtur quod ab hypate meson usque
ad neten quasi quoddam ordinis disiunctionisque caelestis exemplar est. Namque hypate meson
saturno est adtributa. Parhypate vero iovialis circulo consimilis est. Lichanos meson marti tradi-
dere. Sol meson obtinuit. Triten synemmenon venus habet. Paranetem synemmenon
mercurius regit. Nete autem lunaris circuli teneat exemplum. Sed marcus tullius contra-
rium ordinem facit. Nam in sexto libro de republica sic ait. Et natura fert ut extrema
ex altera parte graviter ex altera autem acute sonent. Qua ob causam summus ille caeli
stellifer cursus cuius conversio est concitatior acuto et excitato movetur so[no]. Gravis-
simo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manens una sede semp-
er haeret. Hic igitur tullius terram quasi silentium ponit scilicet immobilem. Post hanc quae proximus
a silentio est dat lunae gravissimum sonum, ut sit luna proslambanomenos. Mercurius hypate
hypaton. Venus parhypate hypaton. Sol lichanos hypaton. Mars hypate meson.
Iuppiter parhypate meson. Saturnus lichanos meson. Caelum ultimum mese. Quae ve-
ro sint hae immobiles quae vero in totum mobiles quae autem inter immobiles mobilesque consistant
cum de monocordi regularis divisione tractavero erit locus aptior explicandi.

QUAE SIT NATURA CONSONANTIARUM

xxvii Consonantiam vero licet aurium quoque sensus diiudicet tamen ratio perpendit. Quotiens
enim duo nervi uno graviore intenduntur simulque pulsi reddunt permixtum quodammodo et suaven
sonum duaeque voces in unum quasi coniunctae coalescunt tum fit ea quae dicitur consonantia.
Cum vero simul pulsis sibi quisque ire cupit nec permiscent ad aurem suavem atque unum ex duobus
compositum sonum tunc est quae dicitur dissonantia.

UBI CONSONANTIAE REPERIANTUR

xxviii In his autem comparationibus gravitatis atque acuminis has consonantias necesse est inveniri quae sibi
commensuratae sunt id est quae notam possunt communem habere mensuram ut in multiplicibus
duplum quod est illa pars metitur quae inter duos est terminos differentia ut inter duo et quattuor binarius
utrosque metitur. Inter duos atque sex quae triplae binarius utrosque metitur. Inter novem atque octo eadem unitas est
quae utrosque metiatur. Rursus in superparticularibus si sesqualtera sit proportio ut quattuor ad sex est binarius
qui utrosque metiatur. Qui scilicet utrorumque est differentia. Quod si sesquitertia sit proportio ut si octo
senario comparentur idem binarius utrosque metitur. Id vero non evenit in ceteris generibus
inaequalitatum quae supra retulimus ut in superpartiente. Nam si quinarium ad ternarium

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 46 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/46)